

tenebrarum quicquam habere, tertia res quædam erit, ultra utrasque. Talem autem nullam mente capimus. Est ergo ommittenda. Si vero media eo modo sit, ut et luminis, et tenebrarum partem habeat, ne fingi quidem posse videtur, ut ubi tenebræ nullæ sunt, aut esse possunt, ex tenebris aliquid confletur. Si vero quis dicat nullas quidem ibi tenebras esse puras, esse tamen ex iis, et lumine mistum quipiam, interrogandus erit, quo modo ibi sit, misti ea pars, quæ tenebrarum sit? Aliunde enim eam eo migrasse erit necesse. Id si fateatur, unde nam illuc ascendisse potuit, aut continue ascendat, reperire est necessarium. De quatuor enim opacis illis, nihil eo posse surgere est demonstratum, aut alia quoque esse, cogetur ostendere. Et si sorte ostendat: necesse fuerit ea ita prope extrema mundi sita esse, ut eorum tenebræ ad spaciū pertingant, quod extra mundum est. Ex eisque et lumine, mistio illa fiat media. In mundo quidem, media luminis, et tenebræ, cognoscimus umbrationem, umbram, et lumen creperum matutinum, ac vespertinum. Si quod tale medium extra mundum in spacio sit, necesse est, opaco a corpore proficisci. Quod nullum ibi esse est demonstratum.

Stabiliendum ergo est, in spacio extra mundum, nihil horum omnino vel esse, vel esse posse. Quid ergo nos lumen ibi esse, dicere audebimus? Audebimus sane, si quæ umquam humanæ rationis vis ulla, quicquam persuadere valeat. Nam et ea quæ ibi beatissimam vitam degunt, in pulcherrima re, iucundissimaque degere, rationi est et æquitati valde consentaneum. Luce vero, et lumine nulla neque pulchrior, neque iucundior. Præstantissimas quoque substantias, in re eis similis, præstantissimaque; ævum agitare suadet ratio. Et potentissimas, quæque omnem mutationem superent, in potentissima, quæ universum penetrando, nullam sentiat ipsa mutationem; et qua corporibus vitam præstat omnibus, imo quæ vita una corporum sit omnium; in vitali maxime re habitare, nulla tam obtusa mentis acies fuerit, quæ neget. Hæ rationes, ex mentis vi deductæ. Aliæ ex vi sensus.

Sol quem cernimus, lumen suum usque ad terram propagat. Et, si tolleretur obstans terræ densitas, atque opacitas, visibiliter usque ad centrum penetraret. Quid dico ad centrum usque? Totum terræ globi locum, quaquaversum permearet, atque impletret, non aliter ac scintilla in centro globi vitrei posita, totum lumine suo replet. Neque id dubium esse potest, quando cœlorum Sol inferiorum corpora, et aeris, et aquæ, tota impleat? Quando, solida, et dura, glaciem, vitra, crystalla, gemmas, adamantesque densissimos, durissimosque suo lumine, momento temporis transuerberet? Quando totum spaciū, aerisque molem, usque ad oppositum lunæ globum, momento eodem transeat. Lunæ globum totum, orbes duos, Mercurii, ac Veneris; et trium superiorum, usque denique ad inerrantia astra lumen suum Sol profundat, illoque ea perfundat. Cuius spaciī pars, a Sole ad terram commensa, videatur Astrologis fere immensa. Eorum enim acutiores quidam, nobis suadent, ut a terræ superficie, usque ad Lunæ concavum Mill. pass. sint 109037. Crassities orbis Lunæ sit Mill. pass. 109056. Crassities orbis Mercurii Mill. pass. 370479. Veneris M. 3413755. Solis M. 339102. Martis M. 27339375. Iovis Mill. 19775497. Saturni M. 29474573. Firmamenti denique M. 80942471. Cui universæ longitudini addantur diametri terræ M. 7159. et ultra terramm usque ad Solis oppositam partem totidem; et inde rursus usque ad extimam firmamenti superficiem, aliud tantum. Ex quibus omnibus distantiis, numerus millium passuum, inenarrabilis conficitur, et pene infinitus. Quæ omnia Solis unius lumen, illuminat ac replet, præter exiguum id, quod terram, et Luna, suis locis occupant. Summa autem, excepta terrame diametro, totius numeri suprapositi sunt M. 323.753. 849. Qui numerus si a Sole, ad superam firmamenti superficiem extendatur, supra eam in spaciū illud vacuum protendetur M. 166. 221.933. Cumque Astrologorum computis atque rationibus, totius universi soliditas sit M. 384. 365. 443. 816. 687. 500. Tota solari lumine illustratur atque repletur; præter eam quam diximus terrame, et lunæ opacitatem. Si ergo solis lumen tantam universi soliditatem implet atque illuminat; et tanto spacio, quanto diximus extra mundum, circumquaque protendatur: quanto magis videbitur protendi, si ratio spaciī, nullo obstaculo impediti computetur. Quid enim vetat, lumen illud Solis, quod per corpora,